

gines: cum sacri doctores aliter utantur his nominibus, Idolū, Statua, Sculptile, quàm hoc nomine Imago.

Censura clare demonstrat, locum à Rabbiniis nunquam fuisse inspectū. M A S E B A H Hebræis simulacrum significat, hinc dictum quia statuitur vel erigitur. Non potui clarius vel familiarius quàm Imaginis voce exponere: nequis informem cumulum putaret. Si de nomine litigatur, impudens mendacium est, vel nimis rudis inscitia, quòd sanctos Patres negant Rabbini in malam partem accipere Imagines. Locos accurate non cogeram, neque opus est: quum res sit per se satis nota. Quid autem sceleris admisi, quòd admonuerim dici à Mose, quod me tacete omnes legunt? Ut paterculis istis suas puppas relinquam, quarum insano amore flagrant: nihil esse cause dico cur mihi tantopere succenseant, cum Mosē refero veteri populo mandasse ut imagines destrueret. Verum cum agnoscat perpetuam esse doctrinam, qua idololatria damnatur cum suis appendicibus, bilem quæ aduersus Deum in sceleratis eorum cordibus feruet, in me ebulliunt.